

propria mala sunt, quam illa, quae & vitari poterant & caueri: Ex quo fit, ut ille solus vir fortis debeat iudicari, qui temperans est & moderatus & iustus. Libr. I. c. 9. de falsa sapientia. Ita idem Lactantius L. 3. Sapientiam, quae Virtutibus moralibus caret, pro nulla habet, & non absque stomacho inuehitur in Aristippum, Cyrenaicorum Magistrum, quod non tantum cum nobili scorto Laide rem habuerit, sed etiam multum inter se & caeteros Laidis amatores interesse, eò quod ipse Laidem haberet, alii vero a Laide haberentur, obtenderit. Praeclara & imitanda bonis sapientia! Huic verò liberos in disciplinam dares, ut discerent habere meretricem, addit ille alter quasi Tullius, qui etiam capite sequente pedibus it in Ciceronis sententiam, quod, viros ciuiles, honestos & de Republica bene meritos Philosophiae Doctoribus praefereandos esse, censuisset. Haec iam reuera se ita habere, paulo uberius atque enucleatius explicare animum induxi meum, non ut VOS, VIRI MAGNI, qui partim officii ratione huic Adui interesse, partim rogati praesentia Vestra eum condecorare dignamini, informem; hoc enim si mihi praesumerem, verendum esset, ne vsui mihi veniret id, quod olim Phormioni, coram Hannibale aliquot horas dicenti de Imperatoris officio, omnique re militari, quippe de quo Hannibal, quomodo Oratio sibi haec placuisset? interrogatus, respondisse fertur: Multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem. Neque, me hercle, iniuria, addit Cicero; quid enim arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum Pop. Romano, omnium gentium Victore, certasset, Graecum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, praecepta de re militari dare? L. II. de Oratore: Sed potius de pietate eruditione ornata ideo aliquantisper dissertare necessarium duxi, ut hac ratione viam quasi sternerem, ad eò commodius proponenda ea, quae nobis, tam Docentibus, quam Discipulis denunciare, demandata sunt. Spero igitur, fore, ut eò promptius patulas ac beneuolas aures mihi de Literatura pietati iuncta edifferturo praebeat, id quod etiam maiorem in modum partim rogatum, partim admonitum eo. Rhetorum autem fines si transliero, ea, quibus olim Titius Castratius Metellum Numidicum, postquam de vxoribus ducendis magis verè quam concinnè sermocinatus fuerat, excusauit, quod scilicet aliter Censor loqui debeat, aliter Rhetor (Agell. L. I. c. 6. N. A.), aequis Iudiciis Vos ponderaturos confido.

D

Li-